

In diœcesi Ruræmundensi
Die 10 octobris
Beatæ Mariæ Virginis
sub titulo Domina nostra Stella Maris
Memoria

Ant. ad introitum

Cf. Iudith 13, 23.25

Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso
præ ómnibus muliéribus super terram;
quia nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédât laus tua de ore hóminum.

Collecta

Deus, qui beátam Vírginem Mariám,
Fílii tui Genetrícem,
stellam maris fúlgere fecísti
et præsídiū nobis flúctibus agitátis dedísti,
libera nos, quæsumus, a malis córporis et ánimæ,
ut ea auxílio, ea duce,
ad portum ætérnæ felicitátis perveniámus.
Per Dóminum.

Super oblata

Múnera Ecclésiæ tuæ, Dómine, propitiátus assúme:
ut, benigníssima Fílii tui matre intercedénte,
misericórdiam consequámur
et grátiam inveniámus in auxílio oportúno.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Ps 21, 6

Ad te clamavérunt et salvi facti sunt,
in te speravérunt et non sunt confúsi.

Post communionem

Redemptiónis ætérnæ partícipes effécti,
quæsumus, Dómine,
ut, qui Genetrícis Fílii tui memóriam ágimus,
et de grátia tuæ plenitúdine gloriémur,
et salvatiónis contínuum sentiámus augméntum.
Per Christum.